




BIBLIOTEKA
Zakł. Nar. im. Ossolińskich

XVIII 14262









PAX REGNORUM,
CONCORDIA PRINCIPUM.

In Vim, & Applausum

Concordis Voti, optimè sibi Consulenti:

PERAVGVSTI GENERALIS CAPITVLI
MIECHOVIENSIS:

SUB FELICISSIMIS AVSPICIIS, & PRÆSENTIA,
ILLVSTRISSIMI & REVERENDISSIMI DOMINI,

D. THEODORI
DE LVDINGAVZEN

WOLFF

DEI, & S. Sedis Apostolicæ Gratiâ,

EPISCOPI CHELMENSIS,
COADIUTORIS LIVONIÆ & CVRONIÆ,

Ordinis Canonorum Regularium Sanctissimi
Sepulchri Domini Hierosolymitani:

GENERALIS PRÆPOSITI.

CELEBRATI.

In Præsentia Perillustrium, & Admodùm Reve-
rendorum, Reverendorum

PATRVM & FRATRVM.

P. CLEMENTE ANTASZ,

*Ejusdem Sacri Ordinis Professo, FF. Juniorum Directore,
& Novitiorum Magistro.*

Brevi Peroratione

DENUNTIATA.

Anno Restaurata Pacis Aeternæ, M. DCC. XI. Die 15 Kalend. Iunij.

CRACOVIAE. Typis Francisci Cezary, S.R.M. Illustris. & Reverendis. Dni Episcopi Crac
Ducis Severiæ; necnon Scholarum Novoduoricianarum, Ordinarij Typographi.

XVIII - 14262 - IV.

In Gentilitium Insigne,
ILLVSTRISSIMI & REVERENDISSIMI
D O M I N I.



I.

Orbe suo Major, Victor L E O, tendit ad Astra,
Magnam Virtutem, non capit iste locus.
Est pietas, est casta fides, Regniq; labores:
Hæc sibi Cælum vult, hæc vocat ipse DEVS.

II.

Post Palmas celebres, Partosq; labore Triumphos:
Ad Cælum tandem, prosilit iste L E O:
Quidquid agit, prudenter agit, finemq; tuetur:
Tu mihi sis: dicens: Gloria, meta, DEVS.

III.

AD Cælum Dextras, & splendida Brachia tollens:
Continuus PRÆSVL, Stemmata digna notant.
Ergo diu vivas Prosper, post fata Superstes
Scande polos: cui sit: grata corona DEVS.

ILLVSTRISSIMO & REVERENDISSIMO DOMINO.

D. THEODORO

DE LVDINGAVZEN,

W O L F F,

DEI, & Apostolicæ Sedis Gratiâ,

EPISCOPO CHELMENSI, &c.

COADIUTORI LIVONIÆ & CVRONIÆ,

&c. &c.

GENERALI PRÆPOSITO

MIECHOVIENSI.



Oronato Honori Tuo, procumbens assurgo, eô profundius, quô altiùs, Illustrissimæ Celsitudinis Tuæ pondere flexus. *Illustrissime & Reverendissime Domine.* Veneranda Majestas Tua, mille succincta Gratijs, quem non pellit, in Tui Timorem, pariter & Amorem, qui dulci & prudenti moderamine, ceu magneticâ vi, aut aureis Gallicani

Herculis catenis, terres & allicis, minaris non percutis, fanas non occidis, strenuissimus Eques & Dux, frena rectè tenere jubes. Tenacissimus Astri Tui vigor, quos faxeos non animat Memnones, durissimos non rumpit Caucasos, quæ gelida non solvit pectora, quæ liquefacta, tantò magis æstuant in Tui Honorem, quantò intensiori amoris succensâ igne; resolvuntur. Magnanimus Tuus LEO quos sibi protervos non sternit Molossos, cujus tam suave sceptrum, quàm salutare, tam proficuum, quàm efficax, adamussim rerum dispositione, omnia tuta in pace tenet: omnia fovet. Immensus Virtutum. Tuarum ardor, quem non urit, in debitam Tui Venerationem, qui omnibus omnia factus, ex utroq; Cæsar, Arte & Marte, zelo & pietate, castris & astris, certare & respondere paratus, omnium Pantheon Nominum & Numinum, omnium triumphas animos. Divina in alijs diffusa munera, si admirari licet, in Te & adorare: Sacris Pontifex, Reipublicæ Senator, Regibus Ephæstio fidissimus, Legibus Aristides exactissimus, Principibus Achates conjunctissimus, serijs Cyneas, nodis Macedo, moribus Cato; quid Stagyritas, Hortensios, Tullios, Demosthenes Tibi comparem? congregaverunt divitias, Tu supergressus universas: omnia Diva, in Te collegisti Pandora dona. Evidentissima horum, & sole clariora fert documenta Gentilitius Tuus Coronatus LEO: quid non Regium in Te & sublime: quid non magnum & generosum? omnia alta, omnia Regia, Excellentissima, Illustrissima, omnia cedro gemmisq; notanda indicat, sive cælo, sive terra immortalem urges gloriam, omnia Rosa, omnia Lau-

rus, omnia triumphus, omnia lumen. Non viles
hic denotat animas, sed quibus è potiori Metallo
finxit præcordia Titan: quid valeant Herodès, quid
ferre reculent: Os humerosq; DEO similes osten-
dit Atlantes Regni: illos sanguine junctos Tibi Le-
ones: *Illustrissimum & Excellentissimum JOANNEM*
KOS, Palatinum Chelmensem, Capitaneum Ostroecensem, &c.
Illustris. & Excellentis. LEONIS Tui Stirpem,
carissimâ Sorore Tuâ, Natam: Illustrissimos & Excellen-
tissimos HEROES, JOSEPHUM Palatinum Livoniæ, Capi-
taneum Starogarsensem. JOANNEM, Palatinum Smolen-
scensem. Capitaneum Ostroecensem, pretiosissimum Illustris-
sima & Excellentissima Domûs MYSZKOVIORUM
Vnionem; Quid alia referam generosæ Virtutis ger-
mina? sago & toga potentes, Arte & Marre certan-
tes, lumina & columina mundi: Vnus Tu, vel ma-
ximam Tui moves admirationem, ut Quis & Quan-
tus sis? ad omnia summa natus, ipsa consulto naturâ
Coronato LEONE expressit, eumq; tam certum,
quàm securum Vigilem, plusquàm aurea Hesperidum
mala, pretiosiora Reipublicæ vellera, ut Te
custodiat constituit: & nè res sine Titulo sit, Di-
vinissimo Nomine & gratiosissimo THEODORI
à DEO dati coronavit: ut ita ritè conveniant rebus
Nomina & Stemmata digna suis. Ex linea Apel-
lem, ex pollice Gigantem, ex ungue datum est co-
gnoscere LEONEM, Tu ne defrauderis, aut inju-
riæ aliquâ lædaris notâ, explicandi Heroici animi
tui, totus assignatus LEO. Audivimus crepan-
tem Antonij triumphantis famam vectam Leonibus,
Tuam scimus veram quia videmus. Pelle Nemæi
Leonis gloriatus Alcides, magnanimitati Tuæ, no-

runt cui serviant Leones: quam si fractus illabatur Orbis, impavidam ferient ruinae: divinos illos anhelantes Spiritus, æqualibus altiozem dexteritatem, lapsum cælitus Numen in Orbe Sarmatico, in ipso furentis Bellonæ turbine, & sævis armorum fragoribus, plusquam de ultimis finibus terræ pretiosa inæstimabilis prudentiæ, & consiliorum cimelia, immortalis palmâ.

Unde venit Titan, & nox ubi sidera condit,
decurrendo Olympia grande Nomen, æternum decus, raram & caram Poloniae felicitatem gratiosissimum sidus, Te cælestibus invehunt astris: ut sic digna Virtutum secuta præmia, immortalis donent vitâ: & post fracta fatorum molimina, superata malignantis fortis Acroceraunia, retrusa & hebetata invida fulmina, elusa fortunæ ludibria, post sopitas mundi syrenes, resolutas ænigmatum sphinges, emensas alternantis vitæ symplegadas, æternus in Tuo Zodiaco splendescas LEO: sic itur ad astra, sic Virtus excelsa, intaminatis fulget Honoribus; cujus, quæsitâ multo sudore gloria, reperta multo Regibus altior, ipsaq; Majestate major. Probavit hæc omnia ad unguem, & laudavit, exploratissimum omnium Caput Orbis Inclyta Roma, dum magnitudinem animi Tui, & claritatem Virtutum ad latus diu spectatam, non sibi tantum communicare, sed & alijs Civitatibus, Imperijs, & Regnis, efficaciter persuasit dicens: non sibi Sol, & lucidæ indulgent stellæ, sed benefico suo influxu, terrigenis arrident favoribus: Non sibi tantum mella apes, vel aratra ferunt boves, vel spinæ aculeis, sed gratiosis favent odoribus; & omne bonum sui communicantium, sic Tua beneficia salutarem

tarem influant effectum, ut non tam Tibi, quàm alijs esse & prodesse videaris: itaque Celeberrimæ Chetmensi Infulæ, & Nostræ Miechoviensi, tot Cardinalitijs, **MACIEIOVIÆ, LVBINIÆ, BATOREÆ, RADZIEIOVIÆ**, Tiaris: Archiepiscopalibus, Episcopalibus, **LUGOVIANIS, KORYCINSCHIS, GEMBICIS, PSTROKONNIS, SBASCIS**, &c. desponsatus, ut præfulgeas ad raptum primi mobilis Ecclesiæ Sanctissimi, utinam in æternum currere non cessantis **CLEMENTIS XI. D. N.** Papæ, motus, & fixus, non tamen cum statione ad altiora, etiam in Nostro Hemispherio, Princeps Planetarum, Serenissimus Sol, currere, lucere, influere, astra dirigere creatus es: cui uti summum cordis delictum, & gemma à teneris Romæ fueras, & es, ita & nunc cum Celsissimis Principibus: **STANISLAO SZEMBEK**, Archipræsule Gnesnensi, Primate Regni, **CASIMIRO LVBIE-NIO**, Episcopo Cracoviensi, Duce Severiæ: Princeps Ecclesiæ Polonæ, præcipuum Lumen & Columen, vivæ vocis Oraculo declaratus es. Sic Tuus triumphat **LEO**, sic currit gloria! Quæ Te sonoro Helicon carmine: laudis millenas inter adoras extollet dignè!

Si Vox infragilis pectus mihi, firmitus esset;

Pluraq; cum linguis pluribus ora forent:

Non tamen idcirco complecterer omnia dictis:

Materia vires exuperante meas.

sed quorsum ego tam propius, quàm longius excedens, altitudinem Celsitudinis Tuæ lucidissimos Virtutum complecti radios, quibus exoticos & Tuos lustrasti, & illustrasti Soles, dum attingere con-

tendo, Soli umbram addere, simulque cadere in-
tendo: Quare pacifico potiùs ingressu, cum pace
mea, concordi animorum voto:

*Corpora Magnanimo satis est prostrâsse LEONI,
Pugna suum finem cum jacet hostis habet.*

Ante Pedes

Illustrissimæ & Reverendissimæ
Celsitudinis Tuæ,

*man. u.
Soleo mihi. etc.
quidem oritur*

Devotissimus Servus,

P. CLEMENS ANTASZ:
C. M. P.



ORATIO.



Vgustus rerum Ordo, arduum politioris ævi Negotium, ipsius Cæli, sydereos æmulans vultus, si quando plenior, profusiore Majestatis suæ, ausus dispensare sereno, nunc arctiori, retrò versantis vices perfidæ sortis, ferali acriùs percussus radio, feralem ingemiscit tempestatem: AA. Squalida hæc, toto lacrymarum Oceano abluenda scæna: imò stygijs sopienda & sepelienda undis, quæ quovis truculentior letho; dum sincerius ruptæ felicitatis explicat stamina, dum dulcis præteritorum recordationis, amica pandit veia, acerbiora, lacerati cordis, acriùs repetit vulnera. Ingens hæc, & velut Marpesia Cautes, durissima flex reboantis luctus, tam diræ cladis ruentis Orbis, quò profundiores intùs cudit singultus, eò sonantior quovis terrarum antro, eaq; rigidior repercussa ferit echo: eheu: Nos quoq; floruimus: Fuimus Troes, fuit Iliù, & ingens gloria Teucrorum: occidit cum Nomine Troja: Vrbs antiqua ruit, multos dominata per Annos inclyta Roma. Festiva Pyramidum sileat miracula Memphis: tam subito casu, quæ valuerê diruta sunt: id tantum vel unicum solatij decus & præmium: est quædam flere voluptas: expletur lacrymis egeriturq; dolor. Tàm alta mundi dejecta decora, quæ iniquus Vastator, iniq; subtulit hostis, æternam hiant requiem, æmula cœlo sydera, nubibus atris involuta, funeream oppetierê ecclipsim: Illa illa magnificentissima ad stuporem Orbis, ipsa urgentia fata, grandi anhelitu erecta Capitolia, improbo Iovi, turpiter & probrosè declinârunt Capita: illa ære fusa, solida quondam, nunc stolidi Pergama, quæ inconcussas contriverant arces, immotas fregerant vires, tandem aliquando, post infrenem Bellonæ lusum elusa, post proterva irati Martis fulmina, durum contra durum, ubi non possunt facere murum, ipsa demùm, æternis damnata quiescunt ruderibus. Frixerunt ignita fidelitatum corda, extincta solatia, desolatæ Vrbes & Regna, depopulati populi, favillis tectæ Oppida, dedit vocem miserabilem, & tota mota est terra. Bonum commune, tunc melius & communius, cum in direptionem omnium delapsum est: libertas aurea, tunc carior, quando in compedibus ferreis, ab arctiori venditur custodia: quid dicam ulterius! contrita Inviçtilsimorum Heroum proh dolor an pudor potentia, fædata Sceptrorum decora, dejecta Diademata, expalluerunt
C. rubentes

rubentes Purpuræ, aruerunt virentes olim jucundè, festivæ Triumpho-
rum celebritates, obfuscatæ Majestates, exenterata augustalia, quid ni-
si sempiternum inhabitant horrorem, cunctæ conceptæ spes, quas grata
& veneranda nutrit Pax, inani crepuerè vento: pestifera, infectæ lue,
suavissimæ olim perflantes, nunc terrent auræ, rigent mulcentes Zephyri,
tetros Næniarum ducunt choros ubiq; grassantes furia, miseris tacitos
& publicos volventes in pectore quæstus: cuncti diriguerè metu, gelidos
pavor occupat artus: quocunq; inspexeris nihil est nisi mortis Imago, &
quasi una non sufficeret mors, mille subrepunt mortes. Victa iacet
pietas! stat cruor in templis:

multaq; rubentia cædes:

Lubrica saxa madent: pereunt discrimine nullo:

Amiffæ leges

cunctis sua, non sua ætas!

Nobilitas cum plebe perit, longèq; vagatur

Ensis, & à nullo revocatur pectore ferrum

Arma ferunt, servit toto Mars impius Orbe:

Sed: *Quis furor o Cives! quæ tanta licentia ferri!*

Gentibus invisis Lechicum, præbere cruorem

Bella geri placuit! Nullos habitura triumphos!

heu quantum potuit Regnum, quæ fortuna parari hoc, quem inutiles
hauerunt sanguinem dextræ!

Verùm tanti turbinis, & inauditæ Voraginis, fert animus causas, tanta-
rum expromere rerum: immensumq; aperitur opus, quid in arma furen-
tem impulerit populum! quid pacem excusserit Orbi! nisi dissidium ani-
morum, discordia Principum: hinc invida regnandi series orta: immode-
ratus habendi appetitus, hinc usura vorax, avidumq; in fænore tempus

Et concussa fides, & multis utile bellum; dùm:

Vivitur ex raptis: non hospes ab hospite tutus

Non socer à genero: fratrum quoq; gratia rara est:

Eheu: *Quis fuit horrendos primus, qui protulit Enses?*

Quàm ferus, & verè ferreus ille fuit:

Tunc cædes haminum generi, tunc prælia nata,

Tunc brevior divæ mortis aperta via est.

Eas dedit atq; nefas, tot bella per Orbem:

tam multas scelerum commisit facies! fudit tot Generosos sanguines,
magnanimos delevit Annibales: magnos suppressit Pópeios, invictos cõtri-
vit Alcides, strenuos sustulit Hectores, trecentos Fabios, sexcentos Camil-
los, innumeros Decios, Cochlites & Curtios, Gracchos & Scipiones:
rara & cara Reipublicæ pignora lumina & columnina profanatis obduxit
umbris. Quocirca Patres conscripti, consulite Vobis, prospicite Patriæ:
felix quem faciunt aliena pericula cautum, dum proximus ardet Vcale-
gon, favete! eadem principia compositionis, quæ & resolutionis, oppo-
sitorum eandem docemus rationem: disjunctione res disiunguntur, com-
positione componuntur:

Nulla

Nulla salus bello, pacem te poscimus omnes:

pace res nutriuntur, pace retinentur, pace vivunt: dissolutione & disiectione nunquam stare possunt: fortior unita virtus, triplex funiculus, difficilè rumpitur: hinc & pax Regnorum, concordia Principum, unione animorum, certior & firmior fit: Quos colligere; & in unum redigere dum aggredior: Te AA. Religiosissime, cui Cor unum & Anima in Domino, me Tibi, indissolubili Charitatis & benevolentiae Nodo, uniri & alligari perpetuum supplex posco.

Inter admirandas, luctantis Orbis vires, quibus vel rebelles protervitatam concutiebat Hydras, vel invisos, publicae felicitatis vellera prohibentes discerpebat Dracones, sive tutando, sive ampliando Imperij sui Fasces, nunquam gloriosiore Victor duxit Triumphum, quam ubi obvias easque virulentas dissidij, stravit & sustulit Gorgones. AA. Communis haec, Caelo Terraque trita via, per saxa, per ignes, per aspera discrimina rerum, tendens in ardua Heros animus, sive fortunae sive gloriae accensos urgeat triumphos, nunquam suaviori medio, intentam votorum suorum libat coronam, quam adscito sibi fido Concordiae Commilitone: hoc Generosissimo Bellatore: Quicumque:

composito serenus aëvo:

Fatum sub pedibus egit superbum:

Fortunamque tuens utramque rectus

Inviictum potuit tenere vultum.

Non illam rabies, minaque Ponti.

Versum funditus excitantis aësum:

Necruptis quoties vagus caminis

Torret fumificos Vesuvus ignes

Haud celsas soliti ferire turres

Arentis vi fulminis movebit.

si factus illabatur Orbis

Impavidum ferient ruina.

Boëtius.

Horatius.

&c

Arduū quidem, & primi impetūs generosae virtutis opus id, prout non cujuscunq; Persei aut Herculis, solidos tentat lacertos, ita nec Caput quodcunq; triumphali cingit lauru: ut non quascunq; exiles fatigat palmas, ita per omnes victrici donat palmā: soli contra adversa obstinati fulmina, obili indole nati & educati alumni, quantum in animo Heroēs, quantum in opere Dædali, quantum cavatis vestigijs Bellophontes valido nisu, acerosis ceu in adamante passibus, omnia emensi eluctati perobstantia, ceu Mauritanī Athlantes supercilia tandem ipsa, tholos itonesque fastigiorum capiunt, aheneis concordiae suffulti brachijs. Grande hoc negotium, viros poscit, non Vertumnos, Statores non Ptheos, Censorinos non Philotas, animas propositi tenaces non mendaces: non illas, quarum mens nunc huc, nunc dividit illuc, momentaque tubantia sumit utroque nutu: quibus mille species, nec voto vivitur 10.

Multi sanè, per Vastos rerum anhelitus & confragosa

omnia, quæ obstant & arcent, edomitæ naturæ injurijs, multi quos non capit Macedonia, ruptis Cilicum faucibus, Athlantico Oceano spiritum inferre tentantes, Asiam, Africam, & ultimam atterentes Thulen, quos acer audendi urgebat urebatq; ardor, quos inanis & præceps vexabat gloria; & si tam alta captantes, tamen non irrita spe, ubi concordēs certabant virtutes: norunt enim & rupes mollescere, ubi unanimis vis, admirabilium effectrix, etiam inermi consilio, sed in omnia circumacta propiùs accesserit: statuerunt plurimi animo summa omnia & tenuerunt: steterunt non ceciderunt: quorum si vita perit mortis: gloria non moritur, & palma Nobilis terrarum Dominos evehit ad Deos. At dissidium, turpe, & ipsi averno horrendum monstrum pestiferum. genus ne voce quidem fidem servat, omnia inficit, omnia destruit, dilungit omnia: atrocissima hæc, & ipsius Erebi visceribus nata Erynnis, perniciosissima proles, triceps, uno simul ictu tripliciter occidens Hecate, quæ dum vires & virus suum exerit, dum acutis dentibus, integram mordet felicitatem, sitientissima sua ingluvie, etiam augusta Bellatorum corrodit Nomina, validas Imperatorum exlugit medullas & omnis desideratæ spei, confundit tollitq; omina. Pessimo hoc pejus non datur malum, quod ubi suum inserit semen, semper metit ruinas, ubi suum expuit venenum, semper propinat mortem. Videmus tot funditus everfas, & in cineres redactas Vrbes, numeramus scissa Regna & Imperia, metimur immensas clades, legimus delapsas in alienas manus Monarchias: quis tam scelesti author Operis? dissidium: quid dicam innumeros sublatos Heróes, crudeli nexu constrictas Generosas merces, dehonestatas Nobiles animas, conculcatas Majestates, dispersas opes, magno tudore enutritam, direptam fortunam, multa industriâ & labore erecta, diruta Augustalia, quæ omnia, ut concordia, congregavit extruxit, ædificavit, ita discordia destruxit, disiecit dissipavit omnia: Concordia res parvæ crescunt, discordia etiam maximæ dilabuntur. Non unius diei esset negotium, si per singulorum ire vellem Nomina & volumina: quàm pestiferum hoc malum, ubi multos etsi fortissimos infecit viros, perdidit omnes: Quid magno majus Pompeio? tamen minor dissidio: cuiq; totus trepidus Orbis; quem innumeræ cataphractorum demoliri non poterant catervæ, vilis dissidij dejecit pulex. Ille Cælo genitus Cæloq; receptus Iulius Cæsar:

Cum bene compositis Victor civilibus armis.

Iura Toga regebat: toties prædicta cavere,

Vulnera non potuit, toto spectante Senatu:

Indicium dexterâ retinens: Nomenq; cruore: proprio devit dissidio: ille tot Regum Parens caret sepulchro Priamus, & flammâ indiget ardente Troia: ipsum mare castigans Xerxes, nec ipse sine pais, dum unâ nave cruentis fluctibus redijt orbatus suppetijs, tot exercitum Heros & Hæres.

Ille

Ille Iugurthino clarus, Cimbrogū Triumpho.

Quo victor roties, Consule Roma fuit

In cano Marius iacuit, Cannarū palustri: qui Consul toties, toties Exul, hoc nisi dissidium daret, nunquam fortuna tulisset.

Hinc procax jacuit Catilina cadavere toto

hinc miserando funere Crassus

Assyrias Latio macularit sanguine Carras.

Lucanus.

Dirivitis audita est cui non opulentia Crassi

Ille tamen mortem captus ab hoste tulit.

Expende Hannibalem, quot libras in Duce summo

Iuvenalis.

Invenies! hic est quem non capit Africa Mauro

Perfusa Oceano, Nilogū admota repenti

Transiit: opposuit naturā, Alpemq; nivemq;

Diduxit scopulos, & montem rupit aceto:

Iam tenet Italiam, tamen ultra pergeve tendit.

Exitus ergo quis est? o vanas hominum mentes, curasq; inanes! o gloria cæca! vincitur idem, & in exilium præceps abit, atq; ibi magnus mirandusq; cliens vigil ad prætoria Regis. Quid numerem Cannas, quid victas Carthaginis arces, en quo discordia perduxit miseros: Tam multis sæculis stetit imperans Græcorū Monarchia, donec disidenti Perdicæ & Seleuci, Philippi & Antigoni, effrenata regnandi cupiditate discerperetur: quid Latium; ubi latinè non didicit loqui, aliena mercans idiomata, turpis silentij, vitiosam dominio posuit periodum: decennali fatigata Troja prælio, dum concordi Helenæ non proficit virtute, igne extinguitur; floret jucundè, Augusta Romanorum felicitas, aurea explicans folia, sublimes ad sydera tollens vultus, toties, quoties, inquieti turbidus Adriæ auster Civilis dissidij, furenti suo non adussit ardore: & Quam.

Nec finitimi valuerunt perdere Marsi

Minacis, aut Hetrusca Persenæ manus

Æmula, nec virtus Capuæ, nec spartacus acer,

Horatius

Novisq; rebus infidelis Allobrox

Nec fera cerulea domuit Germania pube,

Parentibusq; abominatus Hannibal!

Verùm quid peregrinos turbamus soles! quid funesta sepulcorum evertimus evertemurq; busta, qui fumantem adhuc, exusta Polonæ felicitatis, captamus auram! terrificas cadauerum persequimur larvas; illæ Herculeæ olim Lechiadum vires, nunc motæ ad Lunam trepidant arundinis umbram: contra folium quod vento rapitur non est potentia tuta; illa bona animæ honoris & fortunæ si non meliori, pessimo Nomen dederunt codici: heu quàm triste spectaculum & miraculum Orbis! non in Colossis Rhodi, aut Ægypti Pyramidibus, non plumbi lamina vel celte sculpendum in silice, ast æviternis fastorum mandandum adamantibus: non sic Hecuba Sypili lacerat vilcera cordis, propter a-

missos filios, quàm Poloniam pupillam pullos suos lacrymis generare videmus: non Orpheus Euridicen, dolore tanto redimit: vel Ægyptus Philomenam recuperat, quanto pretio evisceratis cunctis opibus, discordia Poloniam vendidit: vendit agros & Vrbes, concussit pagos & Arces, evertit fastus, extinxit splendores, suppressit honores, compunxit tumores, castigavit stultitiam, punivit temeritatem, conculcavit Majestatem: quid quærimus ultra miserorum dicta dolorum, quorum tam ampliùs augentur incrementa, quàm acriùs exacerbantur ulcera. Fugit hanc labem, amica Coelorum concordia quæ ut movere consuevit omnia, lenire, ita & conservare: inestimabile in terris donum, si quam honestatis suæ gratiam attingit mentem, honorat eam: si verò pretij sui incuset ignominiam ulciscetur: & meritò: ab ingratis tolli beneficia, & ipsa juvat & docet æquitas: quæ tùm videntur, dùm abeunt: non cognoscitur bonum, nisi amissum: Virtutem incolumem odimus: sublatam ex oculis quærimus invidi: & quod magis causæ est! satietas ferociam parit:

Cum proclivior usus

In pejora datur, suadetq; licentia luxum:

Non auro relictisq; modus mensasq; priores:

Aspernata fames, cultus gestare decoros.

paupertas fugitur, insolita appetens: non placent dapes consuetæ, non sani mores, aut vilis cibus; sed:

Nitimur in vetitum semper cupimusq; negatas

& sic deteriores sumus licentiâ: Quot capita tot sensus, suus cuiq; mos, trahit sua quemq; voluptas.

Turpe quidem dictu, sed si modo vera fatemur.

Vulgus amicitias utilitate probat:

Cura quid expediat? prior est, quàm quid sit honestum:

Et cum fortuna statq; caditq; fides.

Nec facile invenies multis è millibus unum,

Virtutem pretium, qui putet esse sui

Ipsè decor recti facti, si præmia desint

Non movet, & gratis paniter esse probum,

Nil nisi, quod prodest charum est:

Horret hanc inhonestam politiem honesta concordia: quæ non quærit, quæ sua sunt, sed communi potiùs bono defervire promptior, utrisq; desiderijs respondens, utraq; complet vota: dum:

Velle ac nolle ambobus idem sociatq; lato:

Mens æquo ac parvis dives concordia rebus.

Diva hæc, lacris nata thoris, almi Parentis summi Regis, alma filia, non tantùm Regna hæc languida, firmare & munire veraciter edocta, sed & cælestis fædera pacis Imperij, Supremi Numinis inire & conciliare consuevit. Hæc sanctior Dea, verior ac certior, quàm fictitia illa & mendax Flora, quæ cunctas mortalium curas, pulcherrimo componens cursu, florere

florere & vivere, juvat sincerrimè, ubi impius adulter dissidium, rigida Medusæ proles, venenatis non inficit injurijs: alma hæc supernarum Potestatum moderatrix, quot numerat triumphantes in Regno suo Herodes, quot tenet & sperat sanctas animas, quoscunq; regit spiritus, concordēs computat omnes. Ruit turpiter, rebellis Gigantea vis, quæ dum concordia Regnum, montibus fulminare aggreditur, per quæ peccavit, iisdem fulminibus contrita, grandiosem montium extruxit molem. Hæc illa celebrior quia verior Dea Pacis; in Cælo & in terra, sacratiori infestanda cultu, quàm illa olim, fæda Romanorum superstitione, cui aurea offerebatur corda, varijs distincta floribus: Non illa grandinans gemmis, rigoq; depluens auro, nascens è cerebro Iovis Colossensium Minerva, quæ solidius Pacis, & aureæ fortunæ spuit obrium. Non Græcorum, aut Ægyptiorum, non Sparthanorum, aut Romanorum Pantheon, Deorum, Dearumve celeberrimum, hanc attingent Majestatem & Sedem, quàm concordēs supernarum mentium, potentissimæ suæ Reginae Concordiæ, concordēs struxerunt manus. Potentissima hæc, non illa sanguinaria Bellona, illis olim Herculeis unitis viribus, potentissimis Heroibus, quibus non stravit Triumphos, quas non contulit laurus, quas negavit victorias, & præcipuè recentioris ævi: Chocimenses illas, Chiovienses, Strigonenses, Viennenses, Kalusien- ses, Cosacos, Tartaros, Turcas, toti formidabiles Orbi bellicas, quoties concors bellabat Virtus: semper honos Nomenq; decus, laudesq; manebant, quoties tetrum opposuit discordia monstrum, toties turpis fuga, vel inane Syfyphi, volutum saxum. Sed quod mihi dignum laudis concordia punctum; hæc illa, Cæli Terræq; Regina gloriosissima: Iustitiæ rectiq; datrix, quæ cuncta gubernat.

Rapido cælum turbine versans,

Legemq; pati sydera cogens,

Omnia certo sine gubernans.

Rerumq; regens flectit habenas,

Varijs mundum temperat horis.

Concor- *Nunquam transversas solem decurrere ad arctos:*

dia: *Non mutare vias, & in ortum vertere cursus:*

Auroramq; novis nascentem ostendere terris:

Nec Lunam certos excedere luminis orbes:

Sed servare modum, quo crescat, quovè recedat,

Nec cadere in terram, pendentia sydera cælo:

Torumq; alterno consensu vivere mundum.

Quid nisi concordæ consensu texta maneret.

Machina; & imposito pareret tota Magistro!

Non esset statio terris, non ambitus astris:

Nec sua dispositos servarent sydera cursus:

Non imbres alerent terram, non æthera venti,

Non pontus gravidas nubes, nec flumina pontum:

*Nec pelagus fontes, nec staret summa per omnes:
 Pars semper partes æquo digesta parente:
 Non fixa celsi Marmora Carpathi.
 Cives tuentur, non adamantinis:
 Infractus Orion sub armis,
 Indomitum dominante ferro
 Subegit Orbem. Pergama livido
 Damnata squallent cespice & editis
 Leges recensita colossis.
 Funeream oppetierè noctem,
 Labentis ævi. Tempora computant
 Artis labores, & Marcoticas
 Fors æqua fatorum columnas
 Pulverea sepelivit urna.
 Quin & caducis tempus edax tholis
 Scribit lituras, & tinea tenax
 Morsus profanavit citatas,
 Funere comminente læges.*

Neotericus.

At grata animorum, concordia, unita Principum Virtus, Regna & Imperia, trabali firmant robore; it per remeantium membrorum artus generosa vis, & calentes indicio melioris ævi componit spiritus. Concordia Regium animat, & tuetur Thronum: arcet fati jurgia, & obvios quoscunq; pavescens lethi timores, cælestibus perfusa auris ultrò cõercet. Stat Solij vigor sceptriq; pondus, inviolabili voto, cum benigna sceptris arbitra animorum Vnio, rudem barbarorum potestatem, mortalibus sepelit pulveribus, floremq; Regni spectans, aurea crescentis ævi tempora, intimis laborata favis, faustis, solida Regum Sceptris, apprimè tuetur lustris: Ita suis favens fidem præstat concordia rebus: jam verò: Nulla salus bello: pacem te poscimus omnes: Pax Regnorum, si quæ certior & firmior est, non alia, quàm concordia Principum, Vnio animorum.

A Te hanc: *Illustrissime & Reverendissime Domine*, tam efficaciter, quàm securè felici auspiciamur voto, utiq; dignissimo Republicæ Senatore, & Servatore: Non Delphi adoramus Tripodes, qui sanctiores habemus Propheticos sermones: Non Dodoneas infestamus quercus, qui sollicitè amplectimur nostras: Non Sybillæ vertimus folia, vel laniterimus limina, quibus tuus præstò sacer, laureatus præsidet Apollo. Hæc Tibi vena laudum, prodigo fluit cultu, & in Tuos certatim pro-
 vecta decores, gemmifluis arridet viris, cum lucis & pacis alium vibras ferenum, Sarmatiæ jubar, ejusq; viva Cynthia Cæli: soves amanti
 mentis anhelitu, quæ pacis sunt; de Tuò niveo pectoris candore, jam
 lacerata cordis intima, aureas vitæ reintegrat Patria artus; luctificatiq;
 fati fudo vultu renidens, melle faustitas, nocivas mulctat iras: qualis in
 aureo Phæbus pavimento, virentes luce novâ radiat agros; solemq; vivæ
 lucis

lucis imagine inspirat arvis, talis aureis Virtutum & Dexteritatum Tu-
arum radians fulgoribus, cunctos triumphas animos: jam Purpurarum
sydere clarior: jam radiantibus Titan coronatus Planetis Nobis effulges,
ut quos laxeos repereris Memnones, excites, & animes: ut beneficen-
tissimus Planeta, in inferiora terræ nostræ plenè caelestia influas dona:
videlicèt: Charitatem, castitatem, paupertatem, obedientiam, benigni-
tatem, sobrietatem, mansuetudinem, & pacem, &c. Et non profano
Numine dixerim Te Nostrum Phæbum, quem augusta Virtutis statūra
potiore radians metallo, Nostro sacrauit Orbi. Nobis Te totum debes
& Honorem, quo velut majore sereno, in Nostri Zodiaci polo, cunctis
præfulges. Scimus Intelligentias Orbium motrices assistere molibus
illis, certâ lege meantibus, illudq; occulta vi agere, ut quamvis rapidis-
simâ gyratione, non tamen absq; punctis & limitibus suis ferantur: Re-
gnorum autem, Urbium, & Legum Intelligentiæ Motrices, Principes,
& Præsides, assistunt Orbibus istis, quibus ferimur: ubi ne Centimani
sufficerent, solâ vi mentis, & dexteritatis agunt, ut ingentes hujusmo-
di Machinæ securè cohæreant, & intra orbitas suas felici regimine, ad
bonum publicum decurrant. Vis hæc Intelligentia Tibi *Illustrissime*
& *Reverendissime*, magnæ hujus molis, totius Ordinis Nostri, mirâ
temperie & sorte evenit, ut sydera ista, intra compagem salutis hære-
ant, circuitusq; suos teneant in puncto. Te movente, adjuvante, in-
fluente, cujus exporrectum latè animum, nil effugit devium. Quam
verò Excellentissimus Tuus *Sensus*, tam in penetrando & providendo
intelligens, in agendo tam efficax, in omnibus plenè perplexi regiminis
partibus eminet, ita ut nihil præter Consos, Catonesq; sapiat:

Itaq; omnem in Te felicitatem, omnem salutem & opem
nostram, sat evidenter prospicientes concludimus

vota: Curre, quàm felicissimè Zodiacum


Tuum, & Nobis prosperas semper,
sine nube mittens dies,
mitte & pacem.


D I X I.





8093
/ 26.





8093
36

